

Certissimum autem est ex eorum descriptione, quod mulieribus facta fuerit prima resurrectionis Dominicæ manifestatio: haec enim Christum inde ex Galilæa sequutæ die parasceves sub cruci steterant, monumentum atque in eo corporis Christi situm videbant, ac revertentes unguenta sua aromatica paraverant, & unde seu primæ Sabbatorum h. e. die Solis, quam nunc Dominicam appellamus, ad sepulcrum exiverant, Christi corpus unctione: quæ manifestatio facta est per sepulcrum vacuum & Angelicum testimoniun. Quod cum mulieres nunciavissent Apostolis congregatis, quamquam plerisque fabulæ viderentur aniles & mendacia, Petrus tamen & Johannes hoc nuncio permoti celerrimo gressu maturato ad sepulcrum excurrerunt.

Ipse itaque Christus resuscitatus primò omnium, dicente Marco, apparuit Mariæ Magdalena, non Mariæ matri, ut quidem Baronio, Torniello, Ludovico Carthusiensi, Ruperto Tuitiensi & aliis scriptoribus Pontificiis hac in parte pollicem premit Hieremias Drexelius: non enim probabile modò, sed etiam planè certum est, quod Maria mater ejusmodi manifestationibus & apparitionibus non indiguerit, ut quæ vaticinia de Resurrectione sui Filii probè novisset. Magdalena verò, ad Domini conspectum obstupefactibus Angelis voltuque motu & gestu eundem vidiisse significantibus, retrorsum conversa videt stantem JESUM, sed nondum illustrata cognitione Christi ipsum putat esse hortulanum, tandem ex voce agnoscit, quem ex formâ externâ affectibus præpedita agnoscere nequivit, ideoque cum gaudio & exultatione Magistri titulo eumdem compellat, ante eum procidit, ejusque pedes amplexari cupit, quod tamen Christus prohibet, quia & ipsam somniare videt terrenam quandam conversationem in posterum continuandam: quod clarissimè intendit illa ratio, Nondum enim ascendit ad Patrem meum; ubi non terrenum sed cœleste regnum auspicaturus erat, cœlestia bona Magdalena & omnibus insecedentibus